D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

SUPPRESSIO-
NE MENSIUM,

Quam

AUCTORITATE

Illustris Facultatis Medicæ in florentissimâ almâ Salanâ,

PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, & Excellentissimo,

N. GUERNERO ROLFINCIO,

ac Medic. Doct. longè celebratissimo, Pract. & Chim.

of. Publ. Facult. Medic. Seniore, Medico Ducali Saxonico,

Dn. præceptore, Promotoreque suo magno parentis ad

instar venerando.

PRO LICENTIA

emisque in Arte Medicâ HONORIBUS, Privilegiisque DOCTORA-

LIBUS solenniter & legitimè obtinendis,

publicæ ac placidæ τῶν Ἰατραγωνιστῶν censuræ ventilandam

& examinandam offert

OHANNES SIGISMUNDUS Engelhäupt/

SCHMALCALDENSIS FRANCUS.

IN ACROATERIO MAJORI

Die Decembr.

Horis Pro- & Pomeridianis

Anno M. DC. LVI.

JENÆ, JOHANNIS NISII Charactere.

I. N. J.

PROOEMIUM.

QVantis ſupremus ac altiſſimus rerum conditor ornamentis, pulchritudine nimirum, formæque elegantiâ, vultûs præterea dignitate, nec non totius corporis venuſtate, ut viros etiam jam jam multis ſuperent modis, fœmineum condecorârit ſexum, celeberrimi non modò viri, ſed & quotidiana rerum magiſtra experi-
ıtia ſatis luculenter demonſtrat. Fœminarum virtutes enume-
re ſi vellemus omnes, dicendi campus ſe certè nobis offerret
npliſſimus: nec brevi ſermonis comprehendi poſſent ſerie: ad-
, ut quod de Carthagine *Saluſtius*, ſatius eſſe pauca dicere,
ıam multa dicendo plura ſilentio præterire, & hic locum habe-
videatur: ſatius eſt de ſexûs hujus nobilitate pauca dicere, quàm
ıædam dicendo, plura ſilentio involvere. Immenſæ ſunt do-
s corporis: inæſtimabiles dotes animi. γυνὴ ἐνδεδυμένη ἐκδυ-
; ἢ ὅλη πρόσωπον φαίνεται. *Veſte induitur, formoſa: exui-*
r, tota forma. Gratiosus eſt adſpectus, cum mundis veſtibus
nata incedit, molli plantâ ſumma veſtigia ſignans arenâ. Ama-
lis eſt ſimpliciſſimus nudæ proportionis, ſine ullo tegmine ocu-
; expoſitus ornatus. Animi dotes multæ ſunt & magnæ. Ca-
ıces ſunt artium, diſciplinarum, & ſæpè præ viris ſapiunt, meli-
ique ſexui palmam præripiunt ſapientiæ & prudentiæ.

Sed, ut nihil omni ex parte beatum, ita etiam hæc fœminas ſors
ıanet: imò miſereri digna eſt imprimis eo nomine, quòd pluri-
us ſubjiciantur ærumnis, quam viri, ratione UTERI qui τῆς φύ-
εως, *autore Philoſopho I. de gener. animal. cap. 2.* ἐστιν ἄρουρα, *na-*
ræ eſt arvum.

Eſt arvum genitalis ſucci fœcundiſſimum: eſt naturæ hor-
ıs amœniſſimus. Cum floret, omnia rident: ridet Venus: ridet

ὑγιεία: τῆς χρόας τὸ ζώτικον ἄνθ☉ *vitalis floret coloris vig*
Tum verè est μήτηρ τῶν ἐξ αὐτῆς γινομένων ἐμβρύων. *mater infa tium ex se natorum*: & individuo & speciei multa affert comm da. Cum verò deflorescit, & in vocationis suæ muneribus de cit, hanc κακοπραγίαν presso pede sequitur δυσκρασία ὅλε τῦ σ ματ☉ *intemperies totius corporis*; facultatesque langvent mnes: imò non aliter, quàm ex Pandoræ pixide symptomatur & præternaturalium affectionum inde emergit seges. Huc spiciens *Democritus epist. de naturâ humanâ Coo inscripta*, μή βρεφέων, ἡ δεινὸν ἄλγ☉· τῶν ἐν γυναικὶ μόχθων μυρίων παραι μήτηρ. *Mater infantium, gravis calamitas, mille ærumnaru mulieri autor uterus.*

Imprimis autem infortuniorum multorum semina spar in totum corpus divina favissa hæc, in nobilissimo menstruæ pu gationis si turbetur officio, adeô, ut *celeberrimus Scherbius cit te Hofmanno de loc. aff. lib. 2. cap. 8.* non immeritô in quovis m lierum morbo ad uteri excretionem, menses scilicet, semper spiciendum esse diligenter moneat.

Atrocissima generique fœmineo infensissima itaque cu hic affectus intentet & minetur pericula, quamque difficilis ratu sit, in patriâ nuper experti fuerimus, salutis publicæ haud rùm interesse arbitramur, ejus naturam secundum fontes à *Ga 1. de rat. vict. acut. t. 3.* Διάγνωσιν, πρόγνωσιν καὶ θεραπείαν bis propositos penitius investigare, & ad judicii lancem exp dere.

Inde etiam cum à Magnifico atque Gratiosissimo Facult Medicæ Senatu, disputandi partes demandatæ nobis sint, hoc truculentissimo morbi genere debiles ac infirmas nostras vi experiri, ejus delineationem, paucis hisce pagellis hâc vice agg di, eamque Φιλιάτροις, loco exercitii inauguralis, proponere peræ duximus pretium.

Benedicat summus artis conditor conatibus, irriget & ve tet mentem spiritu sapientiæ, ut ad portum delatâ cymbâ, veri tem pleno meridie intueri, & divite medicamentorum comm dorum gazâ instructi, proximô officiosè & fructuosè operam p stare queamus.

Cap

CAPUT I.

Suppressionis menstruæ definitionem, nominalem, realem, & primò formalem rationem exponit.

OMnis tractatio, quæ cum ratione suscipitur, principium trahat à definitione rei, de quâ agitur, vetus est sententia *Ciceronis libro de officiis*. Locum habet splendidum in disciplinis constitutis. ὁρισμὸς μεγάλην ἔχει ῥοπὴν πρὸς τὰ ἑπόμενα. Illa est fundamentum, principium, & velut certum signum destinandarum cognitionum. *Nos* etiam nostras opellas hinc auspicabimur, & quidem à *definitione* cum *nominali*, tum *reali*. Quod ad *definitionem Nominalem*, attinet, imprimis ἐτυμολογία, συνωνυμία & ὁμωνυμία est discutienda.

I. ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΑ. Suppressio Mensium salutatur à Græcis ἡ τῶν ἐμμηνίων ἐποχή, quod singulo mense mulieribus, conceptui aptis accidat. Derivatur ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν & ἐπίσχειν, quod est *inhibere, comprimere, morari, retrò agere*. ἐποχή hinc latinis est *inhibitio, retentio, repressio*, item *retardatio, remora* quasi impetus & ruentis sanguinis impedimentum atque inhibitio. Suppressio ipse est supprimendi actus, Germ. Vertrückung / Verschlaung. A *Coo 5. aph. 57.* aliisque καταμήνια *menses* indigitantur, γυναικεῖα *ab Hippocr 5. aph. 28.* memorata. FLORES etiam indigitantnr, quod monstrent fructui seu fœtui ferendo tempus aptum, & TEMPORA quod statis temporibus prodeant. *Forest. lib. 28. Observat. 2.* MALÆ SEPTIMANÆ interdum salutantur, quia integrâ ferè hebdomatâ mulieri molestiam inferunt.

II. ΣΥΝΩΝΥΜΙΑ. τὰ καταμήνια ἐκλείποντα à *Coo 5. aph. 33. 39.* salutatur, suppressio vacuationis hystericæ, ἀπὸ τῆς ὑστέρας. *Joh. Varand. lib. 1. de morb. mulier. cap. 2.* Menses deficientes. *Hier. Mercurial. lib. 4. de morb. mul. cap. 2.* à *Moschion.* περὶ γυναικείων παθῶν, τῶν ἐμμήνων ἐπίσχεσις, salutatur. *Virginalia*, item *Muliebria sacra*, Latinis. Priori appellationi concordat Germanica vox. Der Weiber Monatliche Kranckheit.

III. ὉΜΩΝΥΜΙ'Α. Sumitur ἐπισχέσεως suppressionis sanguinis nomen dupliciter: GENERALITER pro omni sanguinis retentione, quæcunque etiam ex parte fluat: sive per nares, sive per hæmorrhoides, sive per uterum, præprimis diuturniori. SPECIALITER accipitur pro eâ, quæ in utero oritur. *1. naturaliter.* Talis mensium suppressio ex naturali aliquâ causa fit, ratione nimirum ætatis, lactationis, conceptionis, vehementis exercitationis: nullamque in corpore molestiam affert, uti confirmat, *Ludov. Mercat. lib.2. de morb. mul. c.9.* Deinde etiam sumitur pro eâ, quæ in utero fit *præter naturam*, unde gravium morborum & symptomatum impendet periculum. De posteriori nobis impræsentiarum potissimum sermo est.

Expeditâ hâc Definitione nominali, ad REALEM accedimus, quæ talis est: Suppressio mensium est abolita sanguinis menstrui in fœminis justæ ætatis, præter naturam excretio, orta à frustratione facultatis expultricis.

GENERIS seu Formæ locum obtinet excretio abolita, ac eoque rectè constituitur symptoma actionis abolitæ & expultricis læsæ. Referri etiam potest affectus ad symptomata eorum, quæ immodicè retinentur. Confirmatur ex *Galeno de diff. symp. cap. ult. & lib.3. de caus. symptom. cap.4.*

Posuimus, *abolitam hanc esse excretionem*, & quidem *præter naturam*, innuentes, non omnem mensium suppressionem esse morbosam. Gravidis enim & lactantibus ex naturæ lege menses deficiunt plerumque. *Utero gerentes* ferè menstruis carent. Interdum tamen sed rarô, per ramos inferiores arteriæ hypogastricæ in mulieribus quibusdam plethoricis, quæ primis mensibus copiosiorem sanguinem, quàm pro fœtus nutritione opus est, generant, aliquid sanguinis evacuatur. Videatur *Greg. Horst. part. 2. lib. 1. obs. 39. pag. 74.* Inveniuntur autem nihilominus non paucæ, quibus statis etiam periodis menstrua procedere solent sine valetudinis dispendio. Id *Schenckius lib.4. observ.* illustrat.

Disertè *Petræus in Nosol: harmon. dogmat. & hermet. disp. 43.* in gravidis & lactantibus, *inquit*, menses naturaliter retinentur: in *illis* enim sanguis superfluus in fœtus nutrimentum abit.

in *his* in lac ut infans jam editus suum reperiat pabulum, convertitur. Grandior factus dum vasa uteri comprimit, sanguinem ab utero ad mammas, cum quibus summa ipsi intercedit συμπάθεια, humorumque & affectuum communicatio, sursum exprimit. Illustrat hæc *Medicinæ summus dictator Hippocr. 5. aph. 60.* ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, αἱ καθάρσιες πορεύονται ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν. *Si prægnanti mulieri purgationes menstruæ cursum suum teneant, bene valere fœtum est impossibile.* Id non semper ita habet, sed *plerumque*: cum interdum secus evenisse visum fuerit.

Plurimis, *inquit Nobilissimus Rolfincius, Præceptor experientissimus,* in nutricibus & prægnantibus menses fluunt, ambabus tamen multi sanguinis ex præsentia & victu pleniori. Et quidem talis fluxus per cervicis arterias & venas commodè à naturâ, salvo fœtu, in gravidis institui potest.

Imò, quod majori dignum admiratione, totô gestationis tempore absque aliquâ noxâ menses interdum fluxerunt, ut observavit *Reald. Columbus anat. lib. 2.* quin etiam nisi fluant, vel sanguis insuper venâ cubiti sectâ detrahatur, sæpè gravidæ & quidem cum abortus periculo, malè habent.

NATURALIS etiam est absentia menstrui fluxus in puellis virginibus: & nulla inde molestia, vel totius corporis, vel uteri sequitur. Retinentur ordinariè usque ad decimum quartum annum, & post 50. in senescentibus emanent.

Non rarô tamen & hîc occurrunt variationes. 1. ÆTATIS ratione. Puellæ menstruæ quadrimæ *Tulpius lib. 3. observ. cap. 36.* meminit. *Hercules Saxonia* vidit Venetiis puellam, quintum agentem annum, quæ singulis mensibus modicè expurgabatur. *Fabr. Hildan. cent. 2. observ. 60.* Admodum senibus itidem profluentia, *Schenck lib. 4. observ.* aliique observârunt menstrua. Nonnunquam evenit, ut nonnullis virginibus nimis tardè profluunt, fluxusque hic ad decimum octavum vel vicesimum annum, ob naturalem quandam constitutionem, differatur.

Rarum quod *Reinerus Solenander in consiliis* refert, fœminæ cuidam 70. item cuidam 76. cuidam etiam 101. annorum men-

ses cum magno sanitatis commodo fluxisse. Rarum etiam de sexagenariâ gravidâ refert. *Schenck lib. 4. obs. de concept.* Rariorem longè historiam *Fernel, lib. 6. path. cap. 16.* de octono menstruo citat.

Tradunt artis Medicæ scriptores, mulieres etiam nunquam purgatas, peperisse. Consule *Petrum Toletum lib. de morb. pueror. cap. 1. apud Brassavolam comm. aphor. 36. sect. 5.* Rationem protulit *Arist. lib. 7. de histor. animal. cap. 2. & lib. 1. de gen. animal. cap. 19.* Scilicet in istis mulieribus tantum sanguinis confluit ad uterum, quantum in illis relinquitur, quæ ex consuetudine purgantur, ut habet *Herc. Saxon. Prax. Medic. lib 4. de defect. mens. & still. cap. 14.*

II. VITÆ GENERIS ratione hîc etiam occurrit varietas. Naturæ robur, valida exercitia, atque partium corporis nativa caliditas, suppressionem hanc inducunt, sic fœminæ viragines dictæ, item saltatrices, cantatrices, rusticis laboribus & exercitiis valdè deditæ, siccæ sæpè sunt in partibus hymenæo sacris. *Fuchsius* confirmat in *Instit. lib. 2. sect. 5. cap. 31.* quicquid in iis est excrementi, hoc totum validus calor, & exercitationis vehementia absumunt. *Senn. lib. 4. Prax. part. 1. sect. 2.* quoniam sanguis, qui evacuari debebat, labore, sudore, calore, & transpiratione per habitum corporis promtè resolvitur.

III. CORPORIS CONSTITUTIONIS ratione, ut nimia vel pinguedine vel gracilitate menses etiam restagnare solent. *Pingues* enim exangues sunt, minimasque venulas habent: quique illis inest paucissimus sanguis, ferè in pinguedinem transit. *Graciliores*, verò ob diuturnum aliquem morbum extenuatæ, nihil prorsus supervacui sanguinis, continent, asserente *Nicol. Rocheo de morb. mul. curat. cap. 3.*

CAPUT II.

De SUBJECTO Primario, & Secundario, ejusque partibus agit.

TO πρῶτον πάσχον SUBJECTUM PRINCIPALE ET PRIMARIUM, μήτρα, ὑστέρα, *quasi viscerum postrema* dicta, est ipse uterus, cum

um suis vasis, venis & arteriis hypogastricis. Uterus enim in hoc ffectu primariò & semper afficitur. Id asserit *Galen. lib de hum. om, 1. dum inquit:* Symptomata quæ hysterica appellantur, ad terum tanquam ad radicem pertinent. Laborat modo κτ̀ πρω-ποπάθειαν *per essentiam*, modo κτ̀ συμπάθειαν *per consensum.*

Per πρωτοπάθειαν afficitur, vel intemperie, cum vel sine materiâ, vel morbo aliquo solutæ unitatis, aut confirmationis, cùm ropriæ, tùm vasorum gravatus. Nonnunquam carnis excreentia in utero, aut cicatrix ex ulcere relicta in causâ est.

TERMINUS PER QUEM mittitur, cum corpus humanum sit ldè ἔνρουν καὶ ἔυπνουν sunt non solum cœca & latentia spiracula, d & manifesti ductus.

VASA quænam fluxui huic dicata, variæ inter autores sunt ntentiæ. *Andreas Vesalius 5. de corp. human. fabric. cap. 15.* inc non ambigo, *inquit*, ex fundi venis, non verô cervicis, menuas purgationes sanis alioquin evenire, etiamsi id sectione ondum deprehenderim. Huic sententiæ videtur refragari *Redus Columbus lib. 2. anat.* vasa illa, quæ à cavæ divisione exoritur, quæque in uteri cervicem ad latera inseruntur, eligens, αὐψίᾳ, ut protestatur, in multis, præsertim tamen in suffocatâ iâdam Pisis meretriculâ confirmatus.

Eminentissimus Rolfincius dissert. anat. meth. synth. exar. . 6. c. 28. patronus meus sanctè venerandus per arterias hypogaicas quasdam dum in fundum, præcipuè autem cervicem saninem menstruatim fluere insinuavit. Venæ absolvuntur ab hoc nere. Ex apicibus tamen suis, qua ἐλάχισαι γινόμεναι committur cum osculis arteriarum, simul emittere sanguinem, vesimile judicat.

Hæ arteriæ & venæ intelligi debent, cum inter causas τῆς ῶν ἐμμήνων ἐποχῆς, *suppressionis menstruorum à Galeno 5. aphosm. 57.* primo ponitur ordine: μύσις ἢ ἔμφραξις τῶν τὴν ἐμμήνον ἴθαρσιν ἐπὶ τὴν μήτραν φερουσῶν φλεβῶν. *conniventia & obstruio menstruam purgationem ad uterum deferentium venarum.*

SUBJECTUM SECUNDARIUM seu συμπάσχον est modô epar, modô lien, modô ventriculus, modô reliqua in corpore

 mem-

membra & partes, prout sanguinem non generant: aut gene-tus ad uterum haud transfertur. Aliquando suppressio, uteri ip-us vitio fit, & hæc à nonnullis *suppressio vera*: quæ per consens-fit, *notha, impropriéque dicta* vocatur.

Caput III.

De CAUSA IMMEDIATA & MEDIATIS PROXIMIORIBUS agit.

Causam IMMEDIATAM esse ἀποτυχίαν *frustratione* expultricis uteri, quam sequitur robur retentricis, omn uno affirmant ore. Frustrationem hanc nonnulli abolitionem digitant. Etsi autem abusivè potiùs hæc actio abolita ad facul-tem aliquam referri videtur, cum sæpè expultrix minimè affic-tur, vixque fieri possit, ut adeò debilis sit expultrix, quæ præse-in venis sanguinis copiâ nihil ejus expellere possit; tamen ea-nus ad facultatem aliquam referri potest, quatenus illa consu-suâ functione frustratur aut otiatur.

MEDIATAS PROXIMIORES CAUSAS variè proponu-Medicinæ scriptores. *Rodericus à Castro de morb. mulier. lib.* *cap. 4.* reducit ad tria genera, 1. ex parte humoris, 2. ex parte v-sorum, 3. ex parte facultatis. Consentire huic sententiæ vide-tur, *Jacob. Holler. de morb. intern. lib. 1. exerc. 55. Anton. Val.* *& Joh. Heurn. de morb. mulier. cap. 1.* potissimum esse vitium sanguinis, vasorum & ipsius uteri.

Similes proposuit causas *Nicol. Rocheus de morb. mulie. curat. cap. 3.* Etenim, *ait*, nonnunquam *uteri* ipsius corpus, solidum fuerit, aut durum, causa est cur menses supprimantur detinentur etiam nonnunquam ob *materiam* ipsam, quum v-crassum fuerit excrementum, vel viscosum: supprimuntur etiam nonnunquam, licet utile fuerit excrementum *obstructis* quæ a uterum descendunt, vasis.

Hujus sententiæ patronum producimus *venerandum sene-Hippocratem, lib. de morb. mul. & præprimis Gal. 5. aph. 5.* qui re-tulit ad tres principales. ἐλάττω καταμήνια δύνατον ἐστι γίνεσθαι

1. Δ

1. διὰ τὲ μύσιν, ἢ ἔμφραξιν τῶν τὴν ἔμμηνον κάθαρσιν ἐπὶ τὴν μήτραν φερουσῶν φλεβῶν. 2. ἢ διὰ πάχος αἵματος, ἢ διὰ ψυχρότητα. 3. κατὰ ῥώμην αὐτῶν τῶν κατὰ τὴν μήτραν ἀγγείων, ὡς μὴ παραδέχεσθαι τὸ ἐπιῤῥέον. *Menstrua pauciora fiunt, 1. vel propter venarum in uterum menstruam purgationem deferentium conniventiam, contractionemque osculorum, vel. 2. earum obstructionem, vel sanguinis crassitiem & 3. frigiditatem ipsorum uteri vasorum robur affluentem sanguinem non admittentium.*

I. Ex parte VASORUM seu instrumentorum, causa frequentissima est angustia vasorum. Angusta autem & astricta redduntur vasa, quinque potissimum modis.

1. *Compressione vasorum* à TUMORE præter naturam partium incumbentium circa partes vesicæ, intestini recti, nempe scirrho, vel inflammatione: vel ipsius uteri *tumore*, aut ventris distensione, ut in hydropicis, aut à pinguedinis multitudine, ut autor est *Hipp. lib. 1. de natur. mulier.* In obesis *Aëtius scribit*, quod in illis, quæ præ cæteris exangues sint, angustas venas obtineant, sanguis ob frigiditatem in pinguedinem ferè transeat, & ejus rei indicium sit, quod rarô concipiant. Dilucidè hæc tractat *Johan. Heurnius de morb. mul. cap. 1.*

2. *Coalescentia*, angustiam vasorum hanc quæ inducit, nasci potest ex cicatrice induratâ, vel membranâ. Carnositas aliqua nonnunquam in causa est. Nonnunquam accidit à vulnere, vel ulcere. Nonnunquam post abortum, venæ quibus colligabantur secundinæ, ita coalescunt, ut postea aperiri nequeant: & exinde, licet aliqua pars adhuc per cervicem fluat, imminutio tamen muliebris fluxûs oritur.

3. *Obstructio*, frequentissima hujus angustiæ causa esse solet. Fit à copioso, crassoque sanguine infarcto: & à quocunque crasso, viscido, tenaci ac lento humore. Adest interdum pellicula, vel callus ex ulcere.

4. *Constipatio* ex substantiæ ipsius uteri condensatione, duritie, contractione, adstrictione & siccitate nimiâ, ab intemperie frigidâ vel siccâ & angustiâ vasorum, ita ut sanguis non fluat, aut tenuis, & aquosus exeat, huc pertinet. Verè *Hippocr. 5. aph. 62.*

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκουσι. *Muli* *frigidos & densos uteros habentes, non concipiunt.*

5. *Subsidentia* vasorum huc etiam referri potest. De om bus & singulis hisce uberius *Alexand. Massar. Pract. Medic.* *4. cap. 2. Roder. à Castro de morb. mulier. lib. 4. cap. 4. Ja* *Holler. de morb. internis lib. 4. cap. 58. Johann. Heurn.* *morb. mulier. lib. 1. cap. 1. Nicol. Rocheüs de morb. mu* *curand. cap. 3. Petrus Paulus Pereda de morb. curand. li* *cap. 56.*

II. SANGVINIS culpâ, mensium restinguitur scaturi quatenus peccat quantitate, qualitate, & motu.

QUANTITATEM, quod attinet, ea in *excessu & defectu* cusatur. Ob DEFECTUM causa proxima est sanguinis inopia, effluxionis ex vasis in uterum prohibitio. Suppressio autem tur, cum paucus in hepate, inque venis est, & arteriis. Fit aute paucus sanguis, vel ob cibi paucitatem, vel ob diversionem p copiosos sudores, vomitus, nimium per nares sanguinis fluxu vel hæmorrhoides, ut per aliam regionem: aut sanguificandi c dis impotentiam.

SANGVINIS INOPIA triplici oritur modo. I. *à Calore natur* *nimis robusto* superfluum omne absumente & discutiente, suu que alimentum perfectè digerente, quæ causa est cur *viragin* etiam justæ ætatis mensium fluxu destituantur, quæ scilicet co pora habent robusta, nervosa, compacta, hirsuta, colore fusca pectora & humeros latos, lumbos amplos, &c.

II. Altera causa est CALOR DEBILITATUS, alimenta ingest in sanguinem convertere, qui potis non est 1. ob intemperiem f gidam, calidam, siccam corporis & partium. 2. obstructionem v lidam, scirrhosque jecoris, lienis, ventriculi, in cachexiâ, phthi hydrope.

III. DEBILITATUR etiam CALOR nativus à victu tenui, ut religiosis, divinoque cultui deditis fœminis, quæ frequentib jejuniis & inediâ præter modum se macerant & extenuant. H enim ratione paucus sanguis, generatur. Eo autem deficiente menstrua quoque deficiant, necesse est.

E

Excessus accusatur, ubi summa sanguinis venas replentis & obturantis occurrit plenitudo. Inde sanguis naturæ expellentis regimen eludit. Id videmus in doliis admodum plenis, præsertim si crassities conjungatur. Confirmat *River. prax. Medic. lib. 9. cap. 2.* dum dicit, etiam sanguinis copiam ut supprimantur menses, ita distendendo scilicet uteri vasa: ut minimè se contrahere possint, esse in causâ.

Effluxum *è corporis vasis in uterum* impediunt, cum sanguinis paucitas, tum frigiditas, crassities & viscositas, aut cum sanguis ab utero ad alias partes, puta nares, pectus, stomachum, intestina, renes derivatur

QUALITATE peccat sanguis *manifestâ*, cum est frigidus, crassus, viscidus, lentus, limosus: qualis generatur in splenis, jecoris aut mesenterii obstructionibus. *Pituita* tenax hic satis est efficax, manifestè se prodens in saphenæ sectione. Mixtio *atræ bilis* cum pituitâ apud *Ludov. Mercat.* imprimis ob viscositatem malè audit, indigitatam ab *Hippocr. lib. 1. de nat. human.* Sanguis etiam qui evacuari debebat, crassus & glutinosus si fuerit, ad fluxionem ineptum redditur, quod contingit frequentissimè assentiente *Alex. Massar. lib. 4. cap. 2.*

Occultâ qualitate sanguis peccat, ubi venenatam induit naturam. Id pulchrè notat. *Joh. Heurnius de morb. mul. cap. 1.* Naturâ suâ, *inquit*, non est pravus ille sanguis, est enim roseus purpureusque, solâ peccans copiâ in sanis mulieribus. Sed evenit interdum, ut ille sanguis utero conceptus non ideò effundatur foras; verum ibi cunctando putrescat quòd facilè fit in loco humido & calido: quin fœtida excrementa plurima nonnunquam in utero stabulantur, quibus sanguis ille si remisceatur, ibi interceptus & exitu prohibitus, in pessimum venenum degenerant. Id magis confirmant historiæ, ubi canes eo absorpto, in rabiem vertuntur, & ab eo tactas herbas mori, eoque tinctas fruges sterilescere, prodidêre viri gravissimi.

MOTU peccat, propter humorum inclinationem ad alias partes, ubi materia ista per vomitum excluditur. *Lang. lib. 1. epist. Med. 40.* modò per sputum, *loc. citat. ep. 10.* per nares, *Lusit.*

cent. 2. curat. 17. per oculos, *Hieron. Mercur. consult. M*
tom. 3. cons. 67. & Ludov. Mercat. lib. 1. de mul. affect. cap. 2.
alvum, *Ambros. Paræus de generat. hom. cap. 52. Bauh. anat.*
1. cap. 37. in marg. per mammas *cum Hippocr. 5. aph. 30.* Am
in duabus nobilibus lactantibus se vidisse testatur, & *Musa B*
savolus, refert à se visam mulierem, cui sanguis per ubera flu
quæ gemellos nutriebat. Verùm (quòd fortè mirabêre) ut h
Roder. à Castro lib. 2. theor. de natur. mulier. cap. 11. visæ su
quibus per minimum digitum, & per annularem singulis m
bus sanguis profundebatur, quibus per uterum menstruam
gationem natura denegaverat: altera, cui per majorem ocu
nistri angulum fluebat, aliis per sanguinis sputum, aliis in r
rem faciei singulis mensibus exortum cessisse scribit *Merc*
Plurium exemplorum farraginem collegit *Schenk in observ.*
videri & legi possunt.

III. UTERI vitium, nempe facultatis expulsivæ debi
potissimùm sequitur intemperiem, calidam & siccam, frigid
& siccam, frigidam autem ut plurimùm: queadmodum enim
lor resolvit, ita & frigus constringit, ut *Hipp. 5. aph. 62.* loqu
ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν, οὐ κυΐσκουσι. καὶ
σαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν, ἀποσβέννυται γὰρ αὐ
ὁ γόνος, καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέις, ἐνδείῃ γὰρ τῆς
φῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. *Quæ frigidos & densos uteros hab*
non concipiunt, & quæ præhumidos uteros habent, non concipi
extinguitur enim in ipsis genitura: & quæ plus æquo siccas ac
urentes; nam alimenti defectu semen corrumpitur.

Frigiditas enim inspissat, & immobilitatem sanguinis in
cit, ac debilitat calorem: *Siccitas* constringit meatum, subi
que virtus debilitatur; quin etiam excellens *caliditas* humidi
exsiccando facit ad constrictionem meatuum, nam exhalanti
humoris partibus tenuioribus, residuum crassius redditur, &
expulsionem ineptum.

Hisce morbi in MALA CONFORMATIONE succedunt, ut qu
do substantia UTERI fit durior & densior, quam naturæ ejus c
veniat: morbus autem hic proponitur *à Galen. 3. de sympt. c.*

ip. 4.5. aph. 28. Hoc matricis vitium contrahi poteſt temporis
actu aut naturâ & primô ortu, quâ ratione *Galeni* affirmatione
rpetua conflari poteſt menſtruorum ſuppresſio, niſi quis diu-
rniori medicamentorum uſu ad habitum meliorem reducat
turam.

Uterus etiam, ſi vaſis illûc ſanguinem ferentibus careat; vel
malè conformata, aliô converſa, aut contorta habeat, ita ut
nguis per ea effundi non posſit, cujus cauſæ *Fernelius*, mentio-
m facit, nonnunquam in cauſa eſt.

Meatûs tandem eſt ſubjungenda Coarctatio & anguſtia.
TURALIS ſive ab ortu, vitio conformationis, ſive poſt nati-
tem contrahitur. Morbo hoc quæ affectæ ſunt fœminæ, ἄτρη-
clauſæ, imperforatæ, velatæ etiam, quaſi uterus ſit velo obdu-
s, ſalutantur. Eſt autem triplex Atretarum ſeu clauſarum ge-
. 1. in orificio pudendi ſeu alis, vel 2. in cervice uteri ſeu inter-
dio loco, vel 3. in ipſo uteri orificio.

ACCIDENTALIS anguſtia oritur, cum à Vulnere & Ul-
e rima clauditur. Hiſtoriam ab Ulcere narrat *Benivenius de
it. ſanat. & morb. cauſis cap. 31.* mulier, cui morbus Gallicus
m matricem eroſerat, & incuriâ Medici, quicquid eroſum
at, oris invicem conjunctis, occalluerat. Hæc urinam ex par-
oramine reddebat. Simile exemplum à Vulnere refert *in ep.
dicis Gregorius Horſtius ſect. 10.* Scirri, abſceſſus, ulcera, fi-
æ huc conferunt.

Naturæ indagatores Chimici ad Tartarum obſtructionem
ſium hanc referunt.

Caput IV.

CAUSIS MEDIATIS REMOTIO-RIBUS tractatur.

AUSÆ REMOTÆ, in quarum ſcilicet poteſtate eſt corpus
noſtrum de ſtatu naturali in morbos dejicere, quæque vel ad
um vel ſuppresſionem ſanguinis faciunt, ut apparatum mor-
m excitare, aut movere posſint, variæ ſunt. *Numeratur à*

Medi-

Medicis inter RES NATURALES TEMPERAMENTUM uteri fri dum & ſiccum, & naturalis uteri vaſorum anguſtia. ÆTAS ju nilis & florida, pituitæ ferax, hujus affectus dominio ſubjecta

Inter SEX vulgò ſic dictas RES NON NATURALES prim obtinet locum, AER, tanta cujus eſt necesſitas, ut eô ſine neq in ſecundâ, neque adversâ valetudine, ne monumentum quid vivere poſſimus: vel enim à nobis attrahitur, vel noſtrum ab trâ ambit corpus. Cum verò maximam poteſtatem corpus ſtrum alterandi & afficiendi habeat, videbimus, quæ huic affe in exceſſu vel defectu apportet mala,

Quia verò ſuppresſione menſium laborantium intempe plerumque ad frigidam & ſiccam vergit, maximum affert de mentum, ſi à cauſis quoque externis hæc foveatur intemper Nocet ergo *frigidus, craſſus, turbidus*, venarum ora denſan ſanguini immobilitatem conciliando, poros cutis occluden corpus pituitâ multisque impuritatibus onerando. *Caln* operam etiam adhibet ſuam, humores impenſiùs calefacien abſumendo, adurendo: *Siccus* exſiccando corpora, hum denſando & diſſipando. Hûc ſpectant *regiones, & anni temp calidiora & ſicciora*, quæ fontem ſanguinis exhauriunt: *frigi ra*, quæ vaſa condenſant, humoresque in iis coagulant.

CIBUS & POTUS. Sanitatis nutricula cum ſobrietas beatur, omnis hinc repletio nimia naturæ inimica, mater cru tatum & obſtructionum excrementorumque variorum ſcatu go: imò fomes plurimorum morborum evadit guloſitas & gluvies. Si enim nimiâ frigidorum & humorum, quæ craſſum humidum pariunt alimentum, copiâ ventriculus obruatur, f mentum vitale ſupprimitur, extinguitur innatum. Huc facit *alimenta craſſa, frigida, viſcoſa, eſus lactis, acetum, legumi lacticinia, olivæ, oryza, fructus crudi*, præſertim *pruna auſte magnâ ingeſta copiâ*, notante *Schenckio in obſerv. lib. 5.* Inte cancellos hoſce concluduntur quoque alimenta omnia calidio & ſicciora, ſive pura ſive medicamentoſa larga ſumta manu. Ide præſtant *aromata, piper*, aliaque, quæ quoad partium, imprim verò epatis ſubſtantiam valdè exſiccant, tum quod ipſius ſang

s liquorem absumunt. *Adstringentia, item acerba, austera, venata*, quæ partim manifestis, partim occultis qualitatibus vias arctant, hujusque indolis sanguinem producunt. *Rodericus à stro*, quæcunque, *ait*, sanguinem crassum viscosumque reddunt, nauseativa satietas, usus ciborum viscosorum & constringenm, fructuum infrigidantium hûc faciunt.

POTUS atrocissimo huic malo largissimam potest exhibere iteriam. Talis est & præcipuè aquæ frigidæ nimius usus. *Gales acutissimus Hippocratis interpres lib. de venæsect. advers. Eistr.* Mulieres quædam, *inquit*, Romanæ, cum frigidissimam nive potârent, aut nullô modo aut diminutè fuisse purgatas: *ta* rubra, crassa & austera: non benè defecata cerevisiâ avidè ;urgitata, quæ postea circa intestinorum regionem in mesenicis viis subsistit, abdomenque in tumorem attollit, non est exculpam. Hûc pertinent Medicamenta nimis adstringentia, exsiccantia adsumta.

SOMNUS, si excedat, corpus reddit torpidulum & segne, neque dissolutum, & robore destitutum: & quia effluvia coet nec discuti permittit, propterea ut in omnibus corporis tibus, ita & in utero noxiam magnamque excrementorum acervat copiam. VIGILIÆ cerebrum exhauriunt, corpus innum reddunt, cruditates pariunt, cibi & potûs concoctionem pediunt, materiamque coacervant morbificam. Inde continua nstruorum suppressio.

QVIES, cum vita otiosa & sedentaria corpus plurimis exementis, quæ non discutiuntur, impleat, pituitam & cruditates get, calorem obtundit innatum, ciborumque infelicem efficit pensationem. Mulieres vitam nimis amplectentes sedentari, nimiam sanguinis generant copiam, validamque habent cors sanguificam vim. MOTUS, cum modum excedit, spiritus exurit vitales, totumque corpus refrigerat, coctionem impedit, rpus pravis humoribus si refertum, illi quiescentes, motu niiô per universum agitantur corpus, & ad partes ignobiliores eferuntur. Hâc de ratione saltatrices, & cantatrices menses non bent.

Παθήματα & AFFECTUS ANIMI. Cum plurimum ani faciat sedatus ad sanitatem: dum exæstuationi approximat, pus de statu naturali dejiciunt. Hoc illustrat *Hieron: Mercu Consult. med. tom 3. cons. 117.* Animi, *inquit*, pravas omnes c tationes deponat necesse est, quandoquidem vix quicquam quod æquè bona corporis temperamenta caloremque nati evertat, atque graves animi sollicitudines. Tales sunt, *ira, tr tia, mœror, luctus, metus, timor, & terror subitaneus, anim perturbationes*, ob quas viduæ sæpè non purgantur.

EXCRETA maximam quoque alterandi afficiendique obtinent, dum retinenda præter modum excernuntur. Ho censum subeunt, sanguinis nimia per nares & hæmorrhoides cuatio: ut & intestinorum fluores, dysenteria, cœliaca, lient diuturniores, vomitus continui, sudores, & transpirationes, insensibiles, tùm sensibiles. Urinæ fluxus copiosus, non raro fluxu spoliat uterū. His annumerāda *Veneris verticordiæ & dullisorbæ nimia veneratio. Sennertus de Medicina benè mere simus*, usum veneris ita depingit, si legitimus & moderatus, na movet, uterum calore perfundit grato, & ad neglectū opus r cat: at intēpestiva nimiaq; hujus indulgentia intempestis etiā lamitatibus totum onerat corpus. Nec sanè minoris sanitatis gem faciunt RETENTA, quæ secundum generalem medico canonem, semper sunt exturbanda: ne corporis œconomiam quinent, sed purum præparetur fonti vitali alimentum: quæ iam præter solitum si retineantur, vel suffocando, vel exstingu do idem præstare possunt.

MEDICAMENTA & alia externa frigida hûc ἐπιβάλ μερ⊛ conferunt. Quæcunque enim sanguinem fluentem, paratum fluere circa uteri arterias & venas congelare nata sun ut lotio pedum, aut intromissio eorum in aquam frigidam, q lotricibus non raro accidit, & mulierculis servituti deditis, p sertim si quando instantibus menstruis aquam ingrediuntur, notante *Roder. à castro lib. 1. cap. 3. de morb. mul.*

Inter RES PRÆTER NATURALES referuntur MO CHRONICI, viscera naturalia debilitantes, coctionumque

invertentes, notante *Forest. in observ.* Febres insuper arden- & hecticæ aliique morbi acuti, quia & corpus hæc omnia ca- aciunt, cumque per ea stetque minus fœmina non benè nutria- , deficit materia in generatione sanguinis.

CAPUT V.

e DIFFERENTIIS & SIGNIS tàm Dia-gnosticis quàm Prognosticis agit.

IIs expeditis, cum *συνιστάμενα inter se convenientia*, aliquate- nus quandoque *ἀλλήλων διϊστῶνται invicem discrepent*, non- intellecti non sit curatio morbi, nonnullis de differentiis ac lentibus de notis soliciti simus, è quibus affectûs hujus genui- atescat indoles, necesse est, sic enim tractabitur artificiosè, â curabitur ratione, medicoque autoritas conciliabitur gra- ã.

DIFFERENTIÆ. I. RATIONE GENERIS, alia est abolita, alia ninuta: & vel contumax vel mitior. Habitâ TEMPORIS RA- NE & MAGNITUDINIS, alia suppressio recens, alia invetera- alia continua, alia interpolata, alia fortior, alia levior.

II. RATIONE SUBJECTI: alia fit utero principaliter affecto, ue frequentissima: alia aliis partibus malè habentibus oritur.

III. RATIONE CAUSÆ, alia fit ab internis, alia ab externis: à causâ uteri frigidâ & siccâ, calidâ & siccâ, frigidâ potissi- m. Alia à sanguinis vitio, qualitate, quantitate & motu. A- à viarum angustiâ, obstructione, compressione. Alia à malâ formatione, cum aliis sœpè conjuncta est morbis gravissimis.

SIGNA DIAGNOSTICA suppressionis vel abolitæ vel im- nutæ *ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν τῆς ἐσίας λόγον ἐνεόντων, ab essentialiter ærentibus* & *causis* prægressis ex ægrotæ & adstantium re- one, facilè innotescunt.

Malum hoc prodit IN GENERE LASSITUDO *modò totius poris*, ejusque insueta gravitas, *modò partium.* Totum corpus grave, Tumor ventris adest & pedũ sine ingravidatione. DOLOR eriorem vel posteriorem capitis partem occupat, diffundit-

 que

que se ad radices & fundamenta oculorum, ad cervicem scapulas. Faciei COLOR vitiatur, pallescit ex viridi & flavo. D spinæ, lumborum partiumque ventris inferioris, prout mat ad hanc vel illam partem refluit, adest. Nausea comitatur, que fastidium, sputationes pituitæ fiunt, ructus, tussis, diffic respirationis, tumores in ilibus cum inflammatione, & ardo stridor dentium propter motum quendam convulsivum m temporalis, vel à materiâ menstruali elatâ, vel vapore capu tente. Urina est crassa, rubicunda atque turbida, nec non n cans subinde, rubramque quasi deponens saniem.

CAUSARUM ante enumeratarum aliqua si præcessit, t certiores de hoc affectu esse poterimus.

SUBJECTUM, uterus an per essentiam, an per consens afficiatur, etiam dispiciendum. Essentialiter uterum affect ostendunt, intemperies, inflammatio, scirrhus: *συμπαθικῶς* nis ventriculi affectiones prægressæ.

PARTICULARIA & *specialiora* causarum signa infinita fer causarum multitudinem se offerunt. Humorem lentum, cras ac pituitosum causam esse, colligere oportet, ex victu præce ti frigido, & ex habitu corporis & ex temperamento & cæter genus. *Deinde*, si uterus laboret intemperie ac primum *frig* corpus universum minimè benè coloratur, sed albidius est. P tereà verò torpidum & frigidum evadet, pulsus erunt rariores mni longi & profundi, omnia excrementa, lotia, egestione cœtera frigiditatem solent attestari.

Si *uteri intemperies* fuerit *sicca*, totum ferè corpus exist emaciatum & exsiccatum, omnes venæ quodammodo inane vacuæ apparebunt: Excrementa omnium partium erunt pauc ra & sicciora, præcessêre vigiliæ, labores, insignes evacuatione similia, quæ totum corpus partesque exsiccare possunt.

Si crassities sanguinis, clausura uteri seu contorsione cer cis in causâ sit, illæ & *αὐτοψία* & aliis notis se prodent.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ *δεινότατε ἰητρȣ̃ generosi medici* est offici *πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν uti providentia.*

Suppressio hæc *καθόλȣ in universum*, non quidem est ab

lutè lethalis: nec ſemper ad ſalutem tendet: ſed ἐνδοιάστος *dubius* eſt. Terrificus tamen ac ſemper periculoſus, ſive partis affectæ excellentiam ac dignitatem, ſive actionis læſæ virtutem ac neceſſitatem intuearis.

Graviſſimarum ſœpè ægritudinum cauſa eſt longa menſium ſuppreſſio. Oriuntur autem agritudines hæ partim in ipſo utero, partim in iis partibus, ad quas ſanguis regurgitat, cumque quibus cōſenſum habet. *In utero* oriūtur inflammatio, gangræna, abſceſſus, cancer, ſterilitas, ſtrangulatio. In *aliis partibus* innumeræ ſequuntur ærumnæ, hydropes, ſuffocationes matricis, podagræ, capitis, dorſi, lumborumque graviſſimi dolores, maniæ, melancholia, epilepſia, vertigo, paralyſis, difficiles ſpirationes, melancholicæ paſſiones, capitis vertigines, nervorum reſolutiones, cordis tremores, tuſſis, phthiſis, ſyncope, viſcerum tumores, dolores; quaſi colici nephriticique: inſignis enim humorum hinc naſcitur pravitas, quæ ad pulmones, Cor, Jecur, caput, univerſumque corpus transfertur.

Capitis dolor comitatur hoc malum, non tàm vaporum, quàm ipſorum humorum ejaculatione, dum qui per arteriarum extremitates emitti deberet ſanguis menſtruus, obſtructis iis, per reliquas arterias venis continuatas communem viam legit, & per venas ad cor & caput tendit. Id *Walæus in Epiſt. 2. ad Bartholinum exponit*: ubi menſtrua, *inquit*, ex utero in caput feruntur, incommoda non eſt via per venam cavam, Cor, & arteriæ aortæ ramum adſcendentem. Et reverâ ea per cor ire, videntur palpitationes, levesque lipothymiæ indicare, quæ ſuppreſſa ſolent menſtrua comitari. Crudior quoque ſanguis anguſtos vaſorum terminos in utero opplens naturæ jugum rejicit, acris & putridus evadit, & dum dictâ ratione ſemina ad caput devolvit, doloris fructus producit uberrimè.

Pravæ uteri aliorumque viſcerum conſtitutiones, in quibus humores quieſcentes putrefiunt, ac venenoſam acquirunt naturam, maximè conſpirant, crudeliſſimorumque nonnunquam ac horrendorum morborū cauſæ eſſe ſolent, apoplexiæ, paralyſeos, *Herc. Saxon. prax. medic. lib. 1. cap. 10.* duas virgines moniales

 in

in cœnobio post mensium suppressionem passionesque uterin varias paralysi correptas observavit. *Nobiliss. Præses* simlem a notavit historiam, *meth. cur. aff. part. diss. 10.* Nobilem, ai matronam aliàs valetudinariam & hypochondriacam utero su focatam liberatam quidem à paroxysmo, sed resolutam sinistr latere. Brevi tamen & illa post fuit restituta.

ObservavimusEpilepsiam ex utero in uxoreAvunculi nost præfectiKaltennorthemiæ. Sedatâ illâ, fuit mutata in paralysin.

Vertigo comes plerumque est, τῆς τῶν ἐμμηνίων ἐποχῆς. I observavimus in muliere, quæ quoties per flumina veheretur aut pontes conscenderet, toties vertigine corripiebatur, flux menstruo ad officium redeunte, statim fuit liberata, malumqu hoc eam reliquit.

Symbolum suum Phrenitidi confert sanguis menstruus p n. retentus, aliæque consuetæ evacuationes intermissæ. Tale ex emplum notat in muliere *Coiter in libell. observat. anat. & Chir.*

